ſine ulla dilatione eſſe mittendum. Dat. 3. Kal. Maji, HONORIO VII. & THEODOS. II. AA. CONSS. 407.

TIT. XXXIII.
DE OFFICIO COMITIS [1] RERUM PRIVATARUM [2].

De actis ad officium rei privatæ transmittendis.

1. Impp. VALENT. & VALENS AA. ad Honoratum Conſularem Byzantii.

SI quid negotiorum actitatum fuerit, in quibus aliquid commodi fiſcalis appareat, ad Officium rei privatæ tuæ Gravitas acta tranſmittat: ut inſtructione percepta, quid ſibimet juris auxilio deberi, agnoſcat. Dat. 6. Kal. Jan. VALENTIN. & VALENTE AA. II. CONSS. 368.

De theſauro. De cautione præſtanda. De rebus nunciatis ante ſententiam ex ſcripto latam.

Lex hæc Græca a Cujacio primum edita ex lib. 60. Baſil. & a Contio ſub hoc titulo ita reſtituta.

NEque [3] Comes privati patrimonii, neque quivis alius eorum Magiſtratuum, qui vel in urbe Conſtantinopolitana, vel in provinciis ſunt, cum quis ſuper [4] theſauro aliquem defert, admittat.

§. 1. Sed ſi ſuper alio fiſcali jure nuntiationem quis faciat, ſub fidejuſſione mox non minus quinque librarum [auri] id fiat.

§. 2. Et ne quod ſigillum, vel deſcriptio, vel alia ulla innovatio interveniat ſuper rebus nuntiatis ante ſententiam ex ſcripto latam.

TIT. XXXIV.
[DE OFFICIO COMITIS SACRI PALATII] [5].

1. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Minervio Comiti rerum privat.

AD Palatinorum curam, & Rationalium officia, omnium rerum noſtrarum, & totius perpetuarii [6], hoc eſt, emphyteuticarii juris exactio revertatur. Dat. Kalendis Januarii, *Mediolani*, CÆSARIO & ATTICO CONSS. 397.

2. Idem AA. Urſatio Comiti rer. privat.

SI quis Judicum vir illuſtris, vel Præfectus Urbi cognitionem Comitivæ rerum privatarum examini debitam, ſibimet vindicandam cenſuerit, vel tuitionem contra ejuſdem ſtatuta ſedis præſtiterit: ad quinquaginta librarum auri illationem pœnæ nomine officium ejus teneatur, quam decet in articulo [7] exigi, manſuetudinis noſtræ arbitrio ſociandam. Dat. 6. Idib. Aug. *Ravennæ*, CONSTANTIO, & CONSTANTINO [8] CONSS. 414.

TIT. XXXV.
DE OFFICIO [9] PROCONSULIS [10], ET LEGATI [11].

1. Imp. CONSTANT. A. Ælio proconſuli Africæ.

LEgati non ſolum civiles, ſed [12] etiam criminales cauſas audiant [13]: ita, ut, ſi ſententiam in reos ferendam providerint, ad Proconſules eos tranſmittere non morentur.

[DE OFFICIO COMITIS SACRI PATRIMONII [14].]

1. Impp. HONOR. & THEODOS. AA. Simplicio Proconſuli Aſiæ.

OFficium Helleſpontii Conſularis, æternæ recordationis patrem Serenitatis noſtræ adiit: & expoſitis ſuis incommodis, quibus a Vicarianis [15] apparitoribus urgebatur, oravit ſub tuæ Sublimitatis agere poteſtate, cujus allegationes humanæ proclivius pium Principem commoverunt: quod & nos obtinere cenſemus.

TIT. XXXVI.
DE OFFICIO COMITIS ORIENTIS [16].

1. Imp. LEO A. Uſeo [17] P. P.

TItulos qui Alytarchiæ, & [18] Syriarchiæ [19] muneribus in prima Syria deputati ſunt, per officia tam viri ſpectabilis Comitis Orientis, quam viri clariſſimi Rectoris provinciæ flagitari præcipimus: Alytarchiæ quidem ludi, cura viri ſpectabilis Comitis Orientis, & ejus officio: Syriarchiæ vero, ſollicitudine viri clariſſimi moderantis provinciam [20], ejuſque apparitoris exerceantur: Nulli penitus curialium, nec ſi voluerint, idem munus vel honorem ſubeundi licentia permittatur.

TIT. XXXVII.
DE [21] OFFICIO PRÆFECTI [22] AUGUSTALIS [23].

De tributis.

1. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Florentio Præfecto Auguſtali.

OMnia tributa per Ægyptiacam diœceſim [24] cura, & providentia Claritatis tuæ a moderatoribus provinciarum exigi jubemus. Si qui tamen ex poſſeſſoribus, ſive militaribus, ſive non militaribus, ad inferenda quæ debentur, audaces extiterint, eos per militare etiam auxilium (ſi opus exegerit) ad ſolutionem compelli ſancimus [25].

De judicibus ordinariis.

2. Imppp. THEOD. ARCAD. & HONOR. AAA. Rufino P. P.

PRæfectus [26] prætorio Auguſtali Ordinariorum ſub ſe Judicum examinandi flagitia, & ſuper his referendi [27], non amovendi, vel puniendi habeat poteſtatem.

TIT. XXXVIII.
DE OFFICIO VICARII [28].

Collatio vicariorum & comitum. De dignitate.

1. Imppp. VALENT. VALENS & GRATIANUS, AAA. Antonio P. P.

IN [29] civilibus cauſis Vicarios [30] Comitibus militum convenit anteferri: in militaribus negotiis Comites Vicariis anteponi. Quoties ſocietas in judicando contigerit: priore loco Vicarius ponatur, Comes adjunctus accedat. Siquidem Præfecturæ meritum cæteris dignitatibus antiſtet: & Vicaria dignitas ipſo nomine ejus ſe trahere judicet [31] portionem, & ſacræ cognitionis habeat poteſtatem, & judicationis noſtræ ſoleat repræſentare reverentiam.

De relationibus.

2. Idem AAA. ad Heſperium P. P.

RElationes [32] Vicariorum, ſi quando uſus attulerit, ad noſtram manſuetudinem referantur: Relationes enim Judicum libenter audimus: ne adminiſtratorum decreſcere videatur auctoritas, ſi eorum conſulta veluti profanorum preces a noſtris adytis repellamus.

TIT. XXXIX.
DE [33] OFFICIO PRÆTORUM [34].

De juriſdictione.

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Senatum.

PRætori [35] defertur hæc juriſdictio, ſancientibus nobis, ut liberale negotium ipſe diſceptator examinet. Sane [36] interponi ab eo decreta [37] convenit; ut ſive in integrum reſtitutio referenda eſt, probatis duntaxat cauſis, ab eodem [etiam] interponatur decretum: [ſeu] tutoris dandi, ſeu ordinandi curatoris, impleatur ab eo interpoſitio decretorum: quippe cum apud [38] eum [39] quoque adipiſci debeat patronorum judicio ſedula ſervitus libertatem. Nec ſane debita filiorum votis patrum vota ceſſabunt, ut patenti [40] copia liberos ſuos exuant poteſtate, magis propriis obſequiis mancipatos: cum ſeſe intelligant his obſequii plus debere, [a] quibus ſe meminerint ſacris vinculis exutos. Dat. [41] 6. Kalend. Januar. EUSEBIO & HYPATIO CONSS. 359.

1 Comes rerum privatarum videtur ſucceſſiſſe in locum procuratoris rei privatæ ſeu patrimonii, de quo dixi in *l.* 39. *in fin. ff. de legatis* 1. Porro fit mentio hujus Comitis *in l. ult. §.* 2. *verſ. Si quis.* J. *de adſeſſ. l. ult.* J. *de petit. bonor. ſublatis, l.* 3. J. *de bonis vacantibus. l.* 1. J. *de advocatis diverſ. judicum. l.* 64. J. *de decurionibus. Novell.* 128. *cap.* 25. *Nov.* 117. *cap.* 13. *verſ. Porro: circa med. Nov.* 123. *cap.* 43. *in fin. Novell.* 124. *cap.* 3. *verſ. ipſam vero.* 2 Additur in editione Haloandri, Sacri palatii, ſacrique patrimonii. Sacri patrimonii fit mentio in *l.* 13. *in pr.* J. *de vectigalibus.* Res privatæ Principis, ſuntne ſeparatæ εἰς τὰς ἰδίας χρείας τοῦ βασιλέως, ut volunt interpretes Græci lib. 6. βασιλικῶν? Suntne, quæ dicuntur ἀδέσποτα, id eſt, res vacantes, ut vult Strabo? Suntne res omnes, quando ita eſt, omnia cenſeri vel dici Principis, *l.* 3. J. *de quadriennii præſc.* Rem ita quidam explicant, Tres fuiſſe Principis περιουσίας, Proprias & privatas Principis, *ut hic:* quaſi proprias, ut fiſcales, (quibus præerat Comes, cujus facta eſt mentio titulo ſuperiore: fiſcales tamen pertinent ad hunc titulum, *l.* 1. J. *h. t. Novell.* 60. *cap.* 2. §. 1. *circa fin.*) deſtinatas ad epulas aulicas: hinc Comes ſacri patrimonii. Puto id adumbrari quodammodo poſſe: ſi dixerimus Comitem, quo de hic agitur, a Gallis appellari, *le Threſorier & receveur du domaine:* eum de quo agitur titulo ſuperiori, *Threſorier de l'Eſpargne:* eum vero cujus fit mentio, J. *tit. prox. Threſorier de la maiſon du Roy.* 3 Lex reſtituta a Cujacio *lib.* 60. *Baſilic.* extat apud autorem Synopſeos Baſil. 6. *tit.* 1. *cap.* περὶ καταμηνυόντων *&c.* 4 *l.* 7. J. *de delatoribus.*

5 In editione Haloandri non diſtinguitur hic titulus a titulo ſuperiori. Cujacius legit de Officio Comitis ſacri patrimonii. Ait tamen hunc titulum nullam habere legem Latinam, Græcam quidem habuiſſe, ſed quæ deſideretur. 6 *Al.* perpetuarii vel emphyteuticarii. Cujac. *ad l.* J. *de locatione præd.* 7 Vid. quæ not. ad *l.* 127. *ff. de reg. jur.* 8 Et Conſtante.

9 *L.* 1. *D.* 16. 6. *Eclog.* 2. adde *Nov.* 30. 103. Poſt illuſtres, de quibus ſuperius egit, ad ſpectabiles deſcendit. 10 Proconſules mittebantur in provincias cum imperio conſulari. *Salic.* 7. Proconſul, quantum ad nomen, proconſul: quantum ad potentiam conſul. 11 Legatus proconſulis habetne propriam juriſdictionem? Cujacius ait, 7. *obſ.* 21. 12 Idque ordinatione Auguſti, *Suetonius, Strabo.* 13 Imo audire non poſſunt, *l.* 2. *in fin. ff. h. t. l.* 1. §. 4. *ff. de ſuſpectis tutoribus.* 14 Hic titulus deeſt in editione Haloandri: inprobatur etiam a Cujacio. 15 Vicarianus a Vicario. Vicarii provinciarum, vices præfectorum prætorio in diœceſibus gerebant. In Oriente tres erant, Aſianæ, Ponticæ (de quo hic) & Thraciæ: Potuerunt eſſe & alii in Occidente, variis temporibus, ut Romæ, Africæ, & Hiſpaniarum: qua de re alibi dicam in edicto de Vicario Ponticæ. adde *l.* 1. *&* 2. J. *de off. vicarii, l. ult. verſ. Et eſt notitia.* J. *de diverſ. off. & apparitor.*

16 Sub Orientis Comite erant quindecim provinciæ, Palæſtinæ tres, Syriæ duæ, (Optat. tres facit) Ciliciæ duæ, Phœniciæ duæ, Cyprus, Euphratenſis, Oſroena, Meſopotamia, Iſauria, Arabia, *Novell.* 8. 17 Urſeo, *Hal.* Puſeo, Cujac. 2. *obſ.* 23. *al.* Uſeo. 18 Liminarchiæ, Cotta *in memorabilibus in voce Liminarcha.* Lyciarchiæ. *Hal.* & male, Quia Lycia (ut ex Notitia conſtat) non Orientis ſed Aſianæ erat diœceſeos. Neque interim dicas non fuiſſe Lyciarchem: quum vel ex Strabone lib. 14. conſtet a Lyciæ civitatibus eligi ſolitum: quo loco perperam Xylander vertit *Lyciæ Principem.* Porro Alytarcha fuit ſacerdos Antiochiæ in Syria: ita dictus, quod in ludis, (qui in honorem deorum fiebant, J. *h. t.*) τοῖς ἀλυταῖς, id eſt, Maſtigophoris præeſſet. vid. Cujac. 2. *obſ.* 13. Alytarchæ fit mentio, *l. ult.* J. *de cupreſſis. l.* 12. *C. Theod. de jure fiſci. l. ult. C. Theod. de expenſ. lud.* 19 *l.* 1. J. *de naturalibus. l.* 6. §. 14. *ff. de excuſat. tut.* 20 Syriæ ſalutaris ſcil. Alytarchia ad Syriæ primæ, ſeu Antiochiæ præſidem, cujus metropolis Antiochia, Theopolis poſtea vocata a Juſtiniano, *Novell.* 7. *cap.* 8. *verſ. Simili.* 109. *in pr. verſ. Hæreticos.* 124. Syriarchia vero ad Salutaris Syriæ præſidem. vid. Cujac. 8. *obſerv.* 21. adde *eundem ad Novell.* 8. *& lib.* 2. *obſ.* 13. *& ad l.* 6. *ff. de excuſ.*

21 *L.* 1. *D.* 17. 22 Ne dicas proconſulis. Trebellius enim Pollio refert, Faſces conſulares Alexandriam (fuit ea ſedes præfecti Auguſtalis) ingredi non licuiſſe. 23 Id eſt, ab Auguſto primum conſtituti in Ægypto, provincia facta, *l.* 1. J. *de poſtulando. l.* 35. §. 3. *ff. ex quibus cauſis major.* Tacit. 12. Dion. 52. Arrian. 3. *de expedit. Alex.* Ægyptii annos etiam numerabant ex ſuo Auguſtali, ut ex Chronicis Alexandrinis Cujacius probat *hoc tit.* 24 Sub cura Auguſtalis præfecti fuerunt ſex Provinciæ: Libyæ duæ, Thebais, Ægyptus, Arcadia, Auguſtamnia. 25 Vid. *l.* 6. *in fin.* J. *de exact. trib.* 26 Præfectus Auguſtalis ordinariorum &c. vid. Cujac. 8. *obſ.* 21. 27 Suidas tamen de hoc prætore tradit, habuiſſe eum τὴν τοῦ βασιλέως τάξιν: Tacitus regis loco fuiſſe: adde Ammian. 22. *& l.* 59. *de decurionibus.*

28 Vicarius pro Præfecto Prætorio mittebatur in tractum, vel diœceſim aliquam aliquot in ſe Provincias continentem. Diœceſis Thraciæ ſex. Pontica undecim vel duodecim. Aſiana undecim (teſte Theodoreto quinque, ſed tamen Notitia imperii octo tantum adſcribit.) Fuit etiam Macedoniæ, Romæ, Italiæ (ſub eo erant decem Provinciæ) Aſiæ, Britanniæ (ſingulis ſuberant quinque Provinciæ) Galliæ, Hiſpaniarum (ſingulis ſuberant ſeptem Provinciæ.) Reliqua vide apud Cujacium *hoc tit.* His adde quæ ſcripſi ad *l. un. ſupr. de off. Com. ſacr. patrim.* Goth. Vide Alciat. *paradox. lib.* 2. *cap.* 12. Anſ. Adde Corraſ. *Miſcellan. lib.* 3. *c.* 19. S. L. 29 Vicarii & Comitis militum notio quæ. 30 Hos τοποτηρητὰς Græci appellant *Synopſ. Baſilic.* 2. 6. *tit.* 18. 31 Judicat. *Hal.* 32 Vice ſacra vicarii judices dicuntur, *ut hic:* & tamen ab his appellatur, non appellatur autem a Præfectis Prætorio. vid. Cujac. 16. *obſ.* 2. ubi probat ab his, qui vice ſacra judicant, appellari poſſe.

33 Adde *tit. C. Th. de Prætorib. lib.* 6. *tit.* 4. 34 *lib.* 12. *tit.* 2. J. *L.* 1. *ff.* 14. Cujac. legit, *Prætoris.* adde *Nov.* 13. 25. 26. 29. 104. Cujac. putat hic initium duci magiſtratuum clariſſimorum. 35 *L.* 16. *C. Theod.* 36 *l.* 4. J. *de vindicta libertat.* 37 Obſerva cauſas, de quibus olim prætor cognoſcebat. 38 Decretorum interpoſitio proprie pertinet ad Conſtantinianum prætorem; de quo vide quæ dicam J. adde Cujac. 7. *obſ.* 23. 39 *Ulpian.* 1. §. 7. 40 Patente. 41 3. *C. Theod.*

De creatione. De ſumptibus.

2. Impp. VALENT. & MART. AA. Tatiano P. P.

TRes [1] tantummodo Prætores electæ opinionis in hac urbe [2] per ſingulos annos judicio Senatus [3] præcipimus ordinari: qui competentes cauſas, & debitos actus integre diſceptare atque tractare debebunt: ut hi tantum tres ex his, qui proprium larem in [4] hac alma urbe habeant, non ex provinciis eligantur. Nec ſi quis forte propter alias cauſas ad hanc urbem de provinciis venerit, ad Præturæ munus efferatur, ſed hi tantummodo (ut dictum eſt) qui hic domicilium fovent: ita tamen, ut nec ipſi ſumptus [5] quoſdam inferre cogantur inviti [6], ſed habeant ſpontaneum liberalitatis arbitrium. Dat. 15. Kal. Jan. *Conſtant.* VALENTINIANO VII. & AVIENO CONSS. 450.

TIT. XL.
DE [7] OFFICIO RECTORIS PROVINCIÆ.

De cauſa falſi, & de proprietate.

1. Imp. ALEXAND. A. Juliano.

POteſt de falſo [8] cauſam cognoſcens Præſes provinciæ, incidentem [9] proprietatis quæſtionem dirimere. Dat. 6. Kal. April. MAXIMO II. & URBANO CONSS. 225.

De potentiorum inſolentia.

2. Imp. CONSTANTIN. A. ad Maximianum Præſid. provinc. [10].

PRæſides provinciarum oportet, ſi quis potentiorum extiterit inſolentior, & ipſi vindicare non [11] poſſunt, aut examinare, aut pronunciare nequeunt; de ejus nomine ad nos, aut certe ad Prætorianæ Præfecturæ ſcientiam referre: quo provideatur, qualiter publicæ diſciplinæ, & læſis tenuioribus conſulatur. Dat. 5. Kal. Maji, PROBIANO & JULIANO CONSS. 322.

De acclamationibus, & accuſationibus judicum.

3. Idem A. ad provinciales.

JUſtiſſimos & vigilantiſſimos Judices publicis acclamationibus collaudandi damus omnibus poteſtatem, ut honoris eis auctiores proferamus proceſſus [12]: & e contrario injuſtos, & maleficos querelarum vocibus accuſandi, ut cenſuræ noſtræ vigor eos abſumat. Nam ſi veræ voces ſint, nec ad libidinem per clientelas effuſæ, diligenter inveſtigabimus: Præfectis prætorio, & Comitibus, qui per provincias conſtituti ſunt, provincialium noſtrorum voces ad noſtram ſcientiam referentibus. Dat. Kalend. Novemb. *Conſtantinop.* BASSO & ABLAVIO CONSS. 331.

De officialibus præfectorum.

4. Idem A. ad Periclem Præſidem.

IN officiales Præfectorum curſum [13] publicum laniantes, vel prava contra utilitatem publicam molientes, vindicandi tibi dedimus poteſtatem: ita ut Præfectos de eorum culpa facias certiores. Dat. 10. Kal. Novemb. *Nicopoli*, CONSTANTIO & ALBINO CONSS. 335.

De majoribus & minoribus judicibus.

5. Impp. VALENT. & VALENS AA. ad Apronianum Præf. urbi.

POtioris gradus judicibus ab inferioribus competens reverentia [14] tribuatur. Sed ubi publica tractatur utilitas, etſi [15] minor Judex veritatem inveſtigaverit, nulla majori irrogatur injuria. Sane qui inſignia dignitatis ad hoc exercet, ut indignis injuriis exiſtimet adficiendos eos, qui officia cum poteſtate moderantur, non declinabit noſtræ indignationis aculeos. Dat. 5. Kal. Jun. ARINTHEO & MODESTO CONSS. 372.

De hyematione.

6. Imppp. VALENT. GRAT. & THEOD. AAA. Cynegio P. P.

CIvitas Phodiorum [16] injuriam ſuam non tam decenter, quam ſero conqueſta eſt: Unde inviolabili obſervatione ſancimus, ut quoniam tempore hyemis [17] navigatio ſæpe periculoſa eſt, [&] ſemper incerta: in illis quinque [18] urbibus, quæ [19] potiores eſſe cæteris aſſeruntur, viciſſim hyemandum ſibi Judices recognoſcant. Quod ſi cuiquam tale exiſtat ingenium, ut præcepta noſtra contemnat, quinquaginta ab eo argenti libræ, centum ab ejus Officio, ſi aliter factum fuerit, fiſci noſtri juribus inferantur.

De eo, qui ex venturæ delegationis titulis profligavit.

7. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Cynegio P. P.

QUi ordinariam [20] geſſerit dignitatem, quicquid ex venturæ delegationis titulis profligaverit: cum diſpendio pudoris atque fortunæ de propriis facultatibus intra provinciam poſitus inferre debebit. Dat. 7. Kalend. Jun. *Conſtantinopoli*, HONORIO nobiliſſ. puero & EVODIO CONSS. 386.

De interceſſore ſive executore tribuendo, vel non.

8. Iidem AAA. Cynegio P. P.

NE quis Judicum in provincia ſua Præfectianum [21], vel Palatinum, vel militem, vel ex his etiam omnibus, qui antea in hujuſmodi officiis fuerint commorati, interceſſorem [22], id eſt, executorem cujuſquam litigatoris petitione in quolibet ſeu privato, ſeu publico negotio putet eſſe tribuendum: Nam peccantem contra conſulta cœleſtia cum officio ſuo non ſolum detrimentum famæ, ſed etiam patrimoniorum damna comitentur. Dat. Non. Aug. *Conſtant.* HONORIO N. P. & EVODIO COSS. 386.

De Auguſtiſſ. urbe injuſſu Principis non adeunda.

9. Iidem AAA. Polemio P. P. Illyrici.

NUllus provinciæ moderator auguſtiſſimam Urbem [23] ſine juſſione noſtra adire audeat. Nam ſi patuerit quem contra decreti noſtri præcepta veniſſe, is congrua condemnatione plectetur. Dat. 10. Kal. Jan. *Mediolani*, poſt Conſulatum TIMASII & PROMOTI. 390.

Ut non palatini, ſed judices exigant a provincialibus.

10. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Limenio Comiti ſacrarum largitionum.

NUllum palatinis tibi obſecundantibus cum provincialibus volumus eſſe commercium: ſed judices ſcire debent, hoc ſibi præcipue eſſe commiſſum, ut ipſi a provincialibus exigant, & conſueta depoſcant: palatinum vero poſſeſſor non horreat, qui [24] non ſibi, ſed judicibus atque officiis præceptus eſt imminere. Dat. 6. Kal. April. *

De potentum procuratoribus.

11. Imppp. [ARCAD.] HONOR. & THEOD. AAA. Theodoro P. P.

MOderatores [25] provinciarum curam gerere jubemus, ne quid potentum [26] procuratores perperam injuſteque committant. Dat. 6. Kal. Decemb. *Ravennæ*, BASSO & PHILIPPO CONSS. 408.

De apparitoribus.

12. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Monachio P. P.

OMnes provinciarum apparitores pro inveterata auctoritate juxta motum [27] judicis nudatos, verberibus (ſi ita res tulerit) ſubjacere præcipimus: ut & facilis executio rerum publicarum ſit, & Officiorum inſolentia comprimatur, & Judicum ſeveritati competens reddatur auctoritas. Dat. 6. Kalend. Januar. HONOR. IX. & THEOD. V. AA. CONSS. 412.

De cohortalibus.

13. Imp. LEO A. Conſtantino P. P.

SI quis cohortalibus [28] adhuc obſequiis obligatus, regimen provinciæ, vel cingulum cujuslibet militiæ dignitatiſve quoquo modo meruerit: contra licitum uſurpatis impetratiſve careat: etiam ſi ultronee a noſtra liberalitate jus regendæ provinciæ, vel militiæ, ſeu dignitatis cujuſpiam ſibi jactaverit delatum fuiſſe. Dat. 7. Idib. Auguſt. LEONE A. IV. & PROBIANO CONSS. 471.

Ubi rectores provinciarum habitare debent.

14. Idem A. eidem P. P.

NUlli judicum qui provincias regunt, in civitatibus, in quibus ſacra palatia, aut prætoria [29] ſunt liceat his relictis privatorum [30] ſibi domos ad habitandum veluti prætoria vindicare: ſed ſacratiſſima modis omnibus inhabitare palatia, ſeu prætoria [cogantur] ut hac neceſſitate compellantur eorum reparationi providere. Ubi autem & palatium eſt, & prætorium: palatium quidem habitationi præſidis, prætorium vel ſuſcipiendis [31] conſervandiſque ſpeciebus publicis horreorum vice, vel alii neceſſariæ rei deputetur. Quod ſi quis aliquando diſſimulare tentaverit: protinus eum atque officium ejus quinquaginta librarum auri multam ad reparandum ſacrum, quod neglexerit, Palatium ſolvere ſancimus. Dat. 6. Idib. Febr. CLEMENTINO & PROBO COSS. *

TIT. XLI.
UT NULLI [32] PATRIÆ SUÆ ADMINISTRATIO [33] SINE [34] SPECIALI PERMISSU PRINCIPIS PERMITTATUR [35].

1 *L. tres tantummodo, l.* 3. J. *de epiſc. aud.* pars legis 1. J. *de prætor.* Flavialis, Conſtantinianus. *l. ult.* J. *de præd. min.* triumphalis, *l.* 5. *l.* 13. *l.* 25. *C. Th. de Prætor. l.* 6. interdum habuit quatuor, interdum quinque, interdum octo, Conſtantinianum, Conſtantianum, Theodoſium, Arcadium, Triumphalem, Auguſtalem, Romanum, Laureatum. *l.* 25. *C. Th. h. t.* In antiqua Roma primis temporibus fuerunt octodecim, *l.* 2. §. 34. *ff. de orig. juris.* adde quæ ſcripſi ad *Theoph.* §. 29. *Inſt. de leg.* 2 Conſtantinopolitana ſcil. 3 Olim prætoris deſignatio, & nominatio Senatoribus erat conceſſa, *l.* 13. 26. 27. *C. Th. h. t.* ſed hanc legem abrogavit Leo, *Novell.* 47. 4 Extranei ad dignitates non ſunt promovendi. vide tamen quæ dicam J. *ut nulli patriæ ſuæ.* 5 *l.* 2. J. *de prætorib.* Olim prætores cogebantur ad certos ſumptus faciendos, vel in urbis fabricas, vel in populi voluptatem. *l.* 5. §. 10. *ff. commodati.* Plutarchus *in Bruto:* adde Lipſium *lib. de glad. cap.* 9. 6 Ad hoc olim etiam coacti quæſtores. Lamprid. *in Alex. Severo*, Quæſtores candidatos ex ſua pecunia juſſit munera populo dare. Vid. Lipſium *d. l. fol.* 35.

7 *Lib.* 1. *C. Th.* 6. *L.* 1. *D.* 18. adde *Novell.* 24. 25. 29. 104. 111. Rectores unius provinciæ erant, vel præſides, vel correctores, vel conſulares, erant ſub cura eorum, quibus plures provinciæ demandabantur, ut Proconſulis, Comitis Orientis, Præfecti Auguſtalis. Ordinarii & publici judices etiam appellantur, & a Græcis ἐμβαθμοί, *Novell.* 20. *c.* 3. *&* 112. *cap.* 3. *in pr. verſ. jubemus.* & fratres interdum ab imperatoribus in ſubſcriptionibus conſtitutionum ad eos directarum. vid. Cujac. *hic.* 8 Puta inſtrumento. 9 *l.* 1. J. *de ordine jud. l.* 26. J. *ad Leg. Jul. de adult. alias* reponendum. 10 Malim *Præf. Præt.* 11 Præſidis provinciæ vires interdum ſeditioſis non ſunt pares, exemplum vide apud Ammian. *l.* 6. Brachium, ut ita loquamur, Præfecti Prætorio præſes: Præfectus Prætorio Principis invocat. adde *l. qui reſtituere.* 68. *ff. de rei vindic.* 12 Prodeuntibus rectoribus provinciarum licuit acclamare. 13 Vid. J. *de curſu publico.* 14 Vide *l.* 2. 3. J. *de off. diverſ. judic.* 15 Majoribus judicibus officio ſuo non fungentibus minores partibus eorum poſſunt ſe immiſcere. 16 Rhodiorum, *Hal.* Is error natus eſt ex Græca littera P. accepta pro Latina R. ut in illo Lucilii verſu apud Terentianum Maurum. Apes apes Græci ut faciunt: Martialis 9. *epigr.* 12. loquens de Græcis, *& quos ἄρες ἄρες decet ſonare.* Vide Cujac. 16. *obſ.* 6. Simili errore, *Arione* pro *Apione* legitur *in Novell.* 78. *in fin.* 17 De menſe Januario ita præcepit Aratus, μὴ κείνῳ ἐνὶ μηνὶ περικλύζοιο θαλάσσης Πεπταμένῳ πελάγει κεχρημένος. & Cicero, *Hoc cave te Ponto ſtudeas committere menſe.* Et Feſtus Avienus, *Non tum mihi longa phaſellis Æquora tententur, non tum freta turbida ponti, Quis petat.* 18 Cujacius *dicto loco* hoc refert ad quinque metropoles quinque provinciarum, quibus præerat Quæſtor exercitus: ut ſit ſenſus, Quæſtores exercitus uno anno hybernare in Rhodo, ibique audire cauſas appellationum: alio in Cypro, & ſic deinceps in aliis; quod tamen aliter definitur *Novella* 41. adde *Nov.* 50. 19 *l.* 1. J. *ut omnes judices, tam civiles*, id eſt, quæ ſunt metropoles: Potiores enim urbium cum dicit, metropoles oſtendit, *l.* 4. §. 9. *ff. de damno infect.* 20 Puta Præſidis, conſularis, correctoris. 21 Præfectianus, Præfecti Prætorio apparitor. vid. *l.* 2. *l.* 3. J. *de apparitoribus Præfecti Prætorio:* adde *l. unic. C. Theod.* Ne præfectianus exactoris, vel curioſi vel horreorum cuſtodis fungatur officio, *l.* 12. *tit.* 10. 22 Miles interceſſoris, id eſt, executoris munere fungi non poteſt, *l.* 5. J. *de juriſdiction. omn.* de interceſſore dixi ad *l.* 7. J. *quæ res pign.* 23 *Synopſ. Baſil. tit.* 6. *cap.* 80. Conſtantinopolim. 24 Palatinus, domeſticus Principis, Conan. 4. *c.* 15. *num.* 4. & male. Pertinet enim ad Comitem ſacrarum largitionum, vel rerum privatarum, *ut hic.* Ejus partes erant urgere, inſtare, monere, ne quid adverſus chartularios attentaretur. Cujac. *ad l.* 2. 3. J. *de canon. largition. tribut.* 25 *l. ult. C. Th. h. t.* 26 Potentium. *C. Theod.* 1. *tit.* 6. *l. ult.* 27 Id eſt, indignationem. *ut l.* 14. *infr. de teſtib. l.* 20. *ff. communi dividundo:* vide Cujac. 13. *obſ.* 29. 28 *l.* 12. *l.* 13. 14. J. *de cohortalibus princip.* 29 Prætoria non ſunt villæ, ut putat Rhenanus apud Tertullianum *lib. ad Scapulam*, ſed domus magnificæ Præſidum, Judicumque cauſa in urbibus extructæ. *l.* 33. *in pr. ſupr. de epiſcop. l.* 4. J. *de op. publ. l.* 3. J. *de metat. & epidemet. l. ult. Cod. Theodoſian. de off. omn jud. Novell* 24. *in princ.* Vopiſcus in *Aureliano*, Forum nominis ſui in Oſtienſi ad mare fundare cœpit, in quo poſtea prætorium publicum conſtitutum. *Prætorium* etiam veteres appellarunt partem villæ latius ædificatam, & patrifamilias habitationi relictam, *l.* 12. *ff. de uſu, l.* 2. *ff. de ſervit. ruſt.* Vide *l.* 198. *ff. de verb. ſignif.* 30 *l.* 3. J. *de metat. & epidemet.* 31 Vide J. *de conditis in publ. horr.*

32 Si quis provincialis a Principe petierit adminiſtrationis officium in ſua provincia, ſacrilegii tenetur: niſi ultro Princeps eum magiſtratum fecerit. *Synopſ. Baſil.* 2. περὶ αἰτήσεων *&c.* adde *l.* 14. J. *tit. prox. l. ult.* J. *de crimine ſacrileg. & ibi not.* 33 Etiam fiſcalis & adſeſſoria. *l.* 10. J. *de adſeſſorib. & domeſt. l.* 1. *C. Th. h. t. l.* 3. J. *de diverſ. off. & appar.* adde *l.* 3. *ff. de off. adſeſſ.* 34 *l.* 38. *ff. ex quib. cauſ. major.* ſic legimus Caſſiodorum patriæ ſuæ Lucaniæ & Brutiorum correctorem fuiſſe. Caſſiodor. 1. *Var.* 35 Ne aut gratioſus, aut calumnioſus apud ſuos eſſe videatur.

* *Græca conſtitutio Anaſtaſii*[1] *Imper. ut ſcribit Jac. Cujac. ad Paul.* lib. 5. ſent. tit. 12. *qui tamen putat eſſe conſt. ult. tit. De offic. rectoris provinciæ: at nos aliter ſentimus, moti & auctoritate librorum veterum, qui novam Rubricam minio ſcriptam poſt illum titul. deſcriptam habent, & Græcorum interpretum conſenſu, qui ad* leg. ult. inf. de crim. ſacrileg. *hunc titul. numerant* 41. *lib.* 1. *Cod. In eadem eſt etiam nobiſcum ſententia præſtantiſſimus Ant. Aug. Cæterum crediderim, idem hac conſtitutione fuiſſe cautum, quod ſupra dicta* ult. conſtit. tit. de crim. ſacrileg. *continetur.*

TIT. XLII.

DE[2] QUADRIMENSTRUIS[3] BREVIBUS[4].

* *Græca conſtitutio deeſt.*

Hunc titulum diſerte ita ſcriptum in veteribus libris, & a nemine adhuc recentiorum animadverſum intrepide reſtitui, ut qui & hoc loco opportune ſit inſertus. Putat quidem Jacobus Cujac. vir doctiſſimus, eum fuiſſe additum tit. De apochis lib. 10. *quia & quadrimenſtruorum brevium l.* 1. *illius tit. mentio fit, ſed idcirco non fuit additus, quia hic jam proprio fuerat loco collocatus. Extat ſimilis tit. lib.* 11. *C. Theodoſiani tit.* 25. *De quadrimenſt. brevib. & ſub eo conſtit. ſingul. Theodoſii, Arcadii, & Honorii AAA.* Cont.

TIT. XLIII.

DE OFFICIO PRÆFECTI VIGILUM[5].

1. Impp. THEOD. & ARCAD. AA. Nepthidio Præfecto urbis.

PRæfecti Vigilum hujus urbis nihil de capitalibus cauſis [6] ſua auctoritate ſtatuere debent: ſed ſi quid hujuſmodi evenerit, Culmini tuæ poteſtatis referre: ut de memoratis cauſis celſiore ſententia judicetur.

TIT. XLIV.

DE OFFICIO PRÆFECTI[7] ANNONÆ[8].

Græca conſtitutio ſub hoc tit. miniato deeſſe notatur in manuſcriptis. Hoc igitur pacto reſtitutis quinque titt. in hoc primo lib. C. qui antea deerant (id eſt, tit. De offic. Comitis ſacri patrimon. tit. De offic. Vicarii, qui in omnibus manuſcriptis extat. tit. Ut nulli patriæ ſuæ adminiſtratio &c. tit. De quadrimenſt. brevib. & tit. De offic. præf. annon.) perpulchre numerus tit. hujus lib. per omnia convenit cum numero Græcorum: quos duos numeros conciliare anxie ſtuduit Ant. Aug. nec tamen præſtare potuit. Cont.

TIT. XLV.

DE[9] OFFICIO CIVILIUM[10] JUDICUM.

De honoratis litigantibus.

1. Imppp. ARCAD. THEOD. & HONOR. AAA. Curtio P. P.

HOnorati [11] qui litem habere noſcuntur, his horis [vel temporibus [12]] quibus cauſarum, vel merita, vel fata [13] panduntur [14], reſidendi [15] cum Judicibus non habeant facultatem. Dat. 3. [16] Non. Febr. *Ravennæ* [17], BASSO & PHILIP. COSS. 408.

De publicis functionibus.

2. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Anthemio P. P.

SI quis pro publicis functionibus, quæ flagitantur, aliquo ſe defendere tentet munimine: adeat Judicem, & promat, quæ duxerit adferenda. Quem ſi Judex (quod non [18] arbitramur) minus audire maluerit [19], ipſe quidem adminiſtrator triginta librarum auri, apparitor vero ejus quinquaginta feriatur diſpendio. Dat. 13. Kal. Auguſt. *Conſtantinop.* HONORIO VIII. & THEODOSIO III. AA. COSS. 409.

TIT. XLVI.

DE OFFICIO MILITARIUM JUDICUM[20].

De negotiis privatorum.

1. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Magiſtris & Comitibus utriusque [21] militiæ.

NUnquam [22] omnino in [23] negotiis privatorum [24] vel tuitio militaris, vel executio tribuatur. Dat. Prid. Id. Febr. *Conſtantinop.* THEOD. A. III. & HABUNDANTIO COSS. 393.

De foro competente.

2. Impp. HONOR. & THEOD. AA. Monachio P. P.

PRæcipimus, ne [25] quando curiales [26] vel privatæ conditionis homines ad militare exhibeantur judicium [27], vel contra ſe agentium actiones excipiant, vel litigare in eo cogantur. Interminationem autem quinquaginta librarum auri adverſus Comitianum [28] officium proponi decernimus, ſi quid contra hoc aliquando tentaverit. Dat. 6. Kal. Sept. THEOD. A. VII. & PALLADIO COSS. 416.

De his, qui in virorum ſpectabilium ducum officiis militaverunt.

3. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Anatolio magiſtro militum.

NEmo de his qui in virorum ſpectabilium ducum officiis militaverit, ſcholæ agentium in rebus quacunque ſubreptione poſt completam militiam ſocietur, nec agendi vices viri clariſſimi Principis accipiat facultatem. Si quis autem adverſus hæc noſtræ perennitatis decreta venire conetur: militia ſpoliatus, proſcriptionis pœna pro parte bonorum tertia conſtringatur. Dat. 5. Kalend. Februarias, *Conſtantinopoli*, MAXIMO II. & PATERIO COSS. 443.

De ducibus militum.

4. Iidem AA. Nomo [29] magiſtro officiorum.

DUces militum [30] & præcipue, quibus gentes [31], quæ maxime cavendæ ſunt, appropinquant, in ipſis limitibus commorari, & milites ad proprium redigere numerum imminentibus magiſteriis poteſtatibus, diuturniſque eorum exercitationibus inhærere præcipimus. Caſtrorum quinetiam refectionis [luſtrationiſque [32]] curam habeant. Quibus cum Principibus caſtrorum propoſitis, pro laborum viciſſitudine, limitaneorum militum duodecimam annonarum partem, diſtribuendam videlicet inter eos magiſteriæ [33] poteſtatis arbitrio, deputamus. Dat. 2. Id. Septemb. *Conſtantinop.* MAXIMO II. & PATERIO COSS. 443.

TIT. XLVII.

NE REI MILITARIS COMITIBUS[34] VEL TRIBUNIS LAVACRA PRÆSTENTUR.

1. Imppp. ARCAD. HONOR. & THEOD. AAA. Anthemio P. P.

OMnem inquietudinem a curiis & civitatibus præcipimus prohiberi, nec ulla privata ab his ſuccendi balnea ad Tribunorum, vel ducum, aliorumve [35] militarium comitum uſus: nec adærationem aliquam pro hoc cauſa profligari. Illuſtribus enim tantummodo viris comitibus ac magiſtris militum (ſi tamen id voluerint) hoc militarium indulgemus: dupli pœna violatoribus hujus ſanctionis imminente. Dat. 5. Kal. Decembr. ARCADIO A. VI. & PROBO COSS. 406.

TIT. XLVIII.

DE OFFICIO DIVERSORUM[36] JUDICUM.

De mulieribus.

1. Imp. CONST. A. ad Domitium Celſum Vicarium.

NEmo [37] judex [aliquem] officialem ad eam domum, in qua materfamilias [38] degit [39], cum aliquo præcepto exiſtimet eſſe mittendum, ut eandem in publicum protrahat: cum certum ſit debita ejus, quæ intra domum conſiderato ſexu ſemet continet, domus ejus vel cujuſcunque rei habita diſtractione, publicis [40] neceſſitatibus poſſe ſervari. Quod ſi quis in publicum matremfamilias poſthac crediderit protrahendam, inter maximos reos citra ullam indulgentiam capitali pœna plectetur. Dat. 4. Id. Auguſt. SABINO & RUFFINO COSS. 316.

In AUTHENT. ut nulli jud. §. neceſſarium, col. 9. tit. 17. al. 9. ſeu Novell. 134. cap. 9.

Paul. 5. *ſent.* 12. §. 5. Idem conſtitutum fuerat a Philippo Pulchro anno 1302. & Carolo V. an. 1366. Gallorum regibus: adeo ut ex eorum Conſtitutione, multi privarentur ſenatorio munere, quod Pariſienſes eſſent. Vid. Papon. 3. *notar.* 8. *cap. des proviſions d'office, fol.* 604. id tamen hodie non obſervatur, videtur autem niti *l.* 17. §. 4. *ff. ad municipal.* quæ vult in dignitatibus conferendis originarium præferri. Cæterum extraneus dignitatis non eſt capax, *l. ult.* Ꞩ. *de offic. præt.* Hoc ita eſt, ſi modo omnino extraneus ſit: quales utique non ſunt, qui eidem Principi ſunt ſubjecti.

1 Ante Anaſtaſium vetuſtiſſima lex reperitur Antonini apud Xiphilinum, μηδένα ἐν τῷ ἔθνει ὅθεν τὸ ἀρχαῖον ἐστὶν ἄρχειν.

2 Adde *l. unic. C. Theod. de privil. domus Auguſtæ lib.* 10. *tit.* 25. 3 *l.* 1. *verſ. Hoc etiam* Ꞩ. *de apochis public.* Vide *l.* 1. Ꞩ. *de off. com. ſacrar. larg. l. pen. C. de canon. larg. tribut.* Quadrimenſtrui dicuntur, quod quarto quoque menſe conficiuntur. Tribus enim penſionibus anni cujuſque indictiones ſolvebantur. *l. ult. infr. de annonis & tribut. l.* 15. *l.* 16. *C. Theod. h. t. tit.* Caſſiodorus, ut trina illatione devotus poſſeſſor ſuam compleat functionem. Idem 12. *variar.* Expenſarum fidelem notitiam quatuor menſibus comprehenſam. Hi breves a chartulariis conficiebantur, & ad officia Palatini, aut Præfecti Prætorio transmittebantur. vid. Cujac. *de apochis.* 4 Breves, brebia, βρέβια, brevicula. Zonar. *in concil. Carthag.* Anna Alexand. 6. Julianus *epiſt. ad commun. Judæorum. l. ult.* Ꞩ. *de conveniendis fiſci debitoribus, l.* 1. Ꞩ. *de apochis publ.* ſunt chartulæ breves.

5 *Lib.* 1. *ff.* 15. περὶ τῶν πραιτώρων τοῦ δήμου ἤτοι νυκτεπάρχων, *Nov.* 13. περὶ νυκτεπάρχου ἤτοι πραίτωρος δήμου. 6. *Ecl.* 5. Ideo dicitur obſcurus judex, arbiter ſilentioſus, incendiariorum & furum indagator. Eleganter Caſſiodorus 7. *variarum* 7. de præfecto vigilum, Furta eum facere in furibus, dum illos noctu circumvenit.

6 Gravioribus ſcilicet & in liberos. vid. *Novell.* 13.

7 Præfectus annonæ extra ordinem pro tempore & neceſſitate exigente conſtituebatur. 8 Præfectus annonæ inter cætera per officinas piſtorum diſcurrebat, penſumque & munditiam panis exigebat. Caſſiodorus 6. *variar.* 18. Cognoſcebat etiam criminaliter de his quæ ad annonam pertinebant. vide Cujac. *in hunc tit.*

9 Extat Cod. Theod. 1. *tit.* 7. 10 Civiles judices opponuntur militaribus: de quibus Ꞩ. *tit. prox.* adde *l.* 1. *C. Th. h. t.* 11 *l.* 1. *C. Th. h. t.* 12 Nec enim omnibus temporibus judices adiri poterant, puta meridianis horis, *l. un. C. Th. h. t.* Idem autem conſtituerant Valens, Gratianus, & Valentinianus, *ibid.* Ne quis domum judicis ordinarii poſtmeridiano tempore ex occaſione ſecreti ingredi familiariter affectet. Hujuſmodi leges judiciarias Auguſtus tulit, quas *edicta* Macrobius vocat 1. *Saturn.* 10. in iis inter cætera cautum erat, ne reus vel accuſator domum judicis ingrederetur. Idem obſervatum fuiſſe in actore Cujacius exiſtimat 6. *obſerv.* 34. ubi tractat de legibus judiciariis. 13 Facta. vide Cujac. 16. *obſ.* 9. 14 Penduntur. *l. unic. C. Theod. h. t.* 15 Vide quæ dicam ad *l.* 3. *ibid.* Sedendi quoque in alia ſecretarii parte Ꞩ. *ubi ſenatores, vel clariſſ.* 16 4. *C. Theod.* 17 Romæ *Cod. Th.* rectius.

18 Præſumitur pro judicis fide: de qua præſumptione, v. Alciat. 3. *præſ.* 9.

19 Nota non præſumi aliquem facere aliter quam deberet, quod & *l. incredibilem. de pœnis* atteſtatur. Atque ita voluntas principis talis eſſe præſumitur, qualis eſſe debet: Baldus *ad initium ff. in verb. l. Auguſtus & ad l. omnes populi. in verſ. ulterius. ff. de Juſtit. & Jur.* Paris *in tractat. de Synd.* Item quando aliquid factum eſt, præſumitur ab eo factum, qui id facere debebat. Bartolus *ad l. nomina.* Ꞩ. *arbitr. tutel.* Baldus *in l.* 1. Ꞩ. *de aliment. præſt.* Rurſus ſi non apparet, uter ex duobus præceſſerit: is præſumitur præceſſiſſe, qui præcedere debuit. Felinus *ad cap. paſtoralis.* 4. *colu. verſ. ad impletionem. ext. de reſcript.* Denique cum quis accipit pecuniam expendendam in re neceſſaria, præſumitur in eam illam expendiſſe. Bartolus & alii ad *l. fin.* Ꞩ. *de pignor. & ad l. fin.* Ꞩ. *ad SC. Macedonian.* Mod.

20 1. *C. Th.* 8. Militares judices opponuntur civilibus, de quibus dictum eſt tit. ſuperiore. 21 *l. un. Cod. Theod. h. t.* videtur intelligere comites militum Orientis: quorum unus in Ægypto, alter per Iſauriam. *l.* 1. Ꞩ. *de off. vicar. l.* 6. Ꞩ. *de adſeſſorib. & domeſt. & tit. prox.* Ꞩ. *ne rei milit. comitib.* 22 *l. un. C. Th. h. t.* 23 *l.* 2. Ꞩ. *h. t. l.* 8. Ꞩ. *de offic. rect. provin.* 1. Harmen. 4. 24 Vide *pragmaticam Juſtiniani cap.* 23. *l.* 2. Ꞩ. *ſi a non competente judice.* 25 Id eſt, ne unquam omnino, *l. unic. C. Th. h. t.* 26 Id eſt, adſcripti curiis civitatum. 27 Id eſt, forum, ut ſit ſenſus: Paganum non cogi in foro militari litigare. *l.* 1. Ꞩ. *h. t. l.* 1. Ꞩ. *de off. magiſt. milit. l.* 42. Ꞩ. *de decur. Novell.* 145. 28 Comitianum officium hic, id eſt, comites militum, de quibus dixi in epigraphe *l.* 1. Ꞩ. *h. t.* officiales. 29 Nonio. vid. *l.* 4. Ꞩ. *de off. magiſt. off.* 30 *Al.* limitum, ut in *l.* 2. §. 20. Ꞩ. *de offic. præf. præt. Afric.* pro limitis *legitur* militis. 31 Ut Sophonenæ, Balbitenæ, & aliæ: de quibus vid. *l. ult.* Ꞩ. *de offic. magiſt. milit.* 32 Quidam legunt *luſtriarum:* alii, *luxuriarum:* Cujacius vero 3. *obſ.* 24. *cluſuriarum. ex l.* 4. Ꞩ. *de offic. magiſt. officior.* Goth. *Luſoriarum* cenſet legendum Salmaſius, teſte Grot. *Flor. Sparſ.* hic. *S. L.* 33 *l.* 6. Ꞩ. *de juriſd. l. ult.* Ꞩ. *ubi quis de curiali. l.* 3. *in pr.* Ꞩ. *ubi ſenatores vel clariſſ. l.* 20. Ꞩ. *de fide inſtrum. l.* 33. *l.* 38. Ꞩ. *de appellat.* Goth. Adde *l.* 2. §. 17. & §. 24. Ꞩ. *de offic. præf. præt. Afric. l.* 19. Ꞩ. *de agricol. & cenſit. l.* 17. 18. Ꞩ. *de re militari & l.* 57. *ff. de verb. ſignif.* S. L. Magiſterium militare, *l.* 25. Ꞩ. *de procuratorib.* Suid. μαγιστερίαν ἀρχήν.

34 Dixi ad epigraphen legis 1. Ꞩ. *tit. de offic. milit. jud.* 35 Aliorumve comitum &c. *l.* 2. *C. Theod. h. t.* vid. Cujac. *hic.*

36 Id eſt, & civilium & militarium omnium, 1. *C. Theod.* 9. 37 *l.* 1. *C. Theod. h. t.* 38 Vide ad hunc locum Socinum *reg.* 259. Mares carcerem patiuntur. Mulieres invitæ ab apparitore domo abſtrahi, & in publicum educi non poſſunt. In cauſa criminali fidejuſſoribus committuntur, vel juratoriæ cautioni: vel ſi grave crimen intentetur, cuſtodiæ mulierum. vid. *Novell.* 134. *cap.* 9. & *ibi* Cujac. Ad hæc, e ſua patria non trahendæ in ſacrum comitatum. vid. *l. un.* Ꞩ. *quando Imperator.* hoc hodie deſuetum. 39 Ad plenum hujus legis & ſequentis Authenticæ intellectum, limitationem, & declarationem vide Jaſonem *ad l. ad egregias. num.* 9. *ff. de jurejur. & ad l. plerique. ff. de in jus vocand.* Hippolyt. *ſingul.* 248. & 279. Philipp. Franc. *ad c. mulieres. de Jud. lib.* 6. Socinum *in Reg.* 229. 2. *fallent.* Decium *in reg. fœminæ. n.* 72. *ff. de reg. jur.* Alexand. *in apoſt. ad Bartolum. ad Auth. matri & aviæ.* Ꞩ. *quando mulier tutor. offic. fung. pot.* Mod. 40 Quid ſi fiſco debeat. vide *Authenticam proximam* Ꞩ.

SEd hodie novo jure pro fiſcalibus vel privatis debitis nulla mulier debet includi: ſed ad judicem veniet per ſe vel per procuratorem ſuum: vel mittat unum vel alterum, quatenus negotium legitime exequantur. Si contra factum fuerit, majores judices viginti libris auri, minores decem puniantur. Obedientes autem eis cingulo ſpoliabuntur, & pœnis ſubjacebunt corporalibus, & in exilium damnabuntur.

De honore viris celſioribus deferendo.

2. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. ad Principium P. V.

SInguli quique judices ſciant, celſioribus viris, & his quorum nonnunquam judicio provehuntur, honorificentiam [1] debitam eſſe præſtandam, nec in proſcriptionibus ſuis [2] fratres audeant nominare: apparitione multanda, cujus hæc eſt cura. Dat. Id. Feb. RICHOMERE & CLEARCHO COSS. 384.

3. Iidem AAA. Conſtantino [3] P. P. Galliarum.

SCiant principes, & cornicularii [4] & primates [5] officiorum, & judices etiam, ternas libras auri a ſuis facultatibus eruendas, ſi honoratis [6] viris (quibus etiam conſiſtorium [7] noſtrum ingrediendi facultas præbetur) ſecretarii judicum non patuerit ingreſſus, aut reverentia [8] non fuerit in ſalutatione delata, aut ſedendi cum judice ſocietas denegata. Dat. 5. Id. Novemb. *Tyberiade* [9], TIMASIO & PROMOTO COSS. 389.

TIT. XLIX.

UT[10] OMNES JUDICES TAM CIVILES QUAM MILITARES POST ADMINISTRATIONEM[11] DEPOSITAM QUINQUAGINTA DIES IN CIVITATIBUS[12] VEL CERTIS LOCIS[13] PERMANEANT.

1. Imp. ZENO A. Sebaſtiano P. P.

NEmo ex viris clariſſimis Præſidibus provinciarum, vel Conſularibus, aut Correctoribus, vel qui adminiſtrationis majoris infulas [14] meruerint [15], id eſt, Viri ſpectabiles [16] Proconſules, aut Præfectus Auguſtalis, aut Comes Orientis, aut cujuslibet tractus Vicarius, aut quicunque Dux, vel Comes cujuslibet [17] militis, vel divinarum [18] Comes domorum, poſtquam ſibi ſucceſſum fuerit, audeat excedere de locis, quos rexiſſe noſcitur, antequam quinquaginta dierum conſtitutus numerus finiatur: Sed per id tempus Præſides quidem, & Conſulares, nec non Correctores [19] in metropoli: Spectabiles vero judices tam civiles quam militares in civitatibus adminiſtratæ diœceſeos illuſtrioribus [20], publice, non domi, vel intra ſacroſanctos [21] terminos, vel regiones, aut potentes domos latitantes, ſed in celeberrimis locis ante omnium, quos nuper gubernaverant, ora verſentur: ut pateat omnibus facultas libera ſuper furtis, aut criminibus querimoniam commovendi: ita ut ab omni defenſus injuria, proviſione poſt eum adminiſtrantis, ac periculo Officii, nec minus curialium, & defenſoris civitatis, juratoriæ tantum cautioni commiſſus, poſtquam fuerit in querimoniam devocatus, pulſare volentibus (ut dictum eſt) pro legum ratione reſpondeat. Nec ullam ante præfinitum tempus de provincia diſcedendi excuſationem ei tribuat vel divinæ [22] vocis copia, vel codicilli alterius adminiſtrationis oblati, vel præceptum Ampliſſimæ tuæ Sedis, ut alterius provinciæ moderatoris vices obtineat, aut præceptum præfatæ, vel alterius civilis vel militaris cujuſcunque poteſtatis, ut quandocunque ſollicitudinem publicam gerat, aut exhibeatur, vel deducatur, aut poſtremo cujuslibet artis aſtutia, cujuſcunque occaſionis excogitata calliditas excludatur: ut modis omnibus, quæ pro univerſarum provinciarum ſalute ſancimus, ſortiantur effectum. Quod ſi quis temeritate punienda ſaluberrimam legem circumſcribendam vel violandam crediderit, licet & majeſtatis reus non immerito judicetur, attamen quinquaginta librarum auri multam publicis calculis inferre cogetur: Simili pœna plectendo [eo,] qui poſt eum adminiſtratione ſuſcepta minime eum curaverit honeſte retinendum, aut ſuper ejus fuga protinus referendum.

§. 1. Adminiſtrationem autem deponere non volumus deceſſorem, antequam [23] ſucceſſor ad provinciæ fines pervenerit: licet literis ad eum, ſeu programmate, vel Edicto ad Officium, & provinciales uſus fuerit. §. 2. Ipſe autem, qui præſentem fugiens [24] non obſervaverit legem, ubicunque repertus fuerit, licet in hac florentiſſima civitate, ad provinciam ſine ullo penitus obſtaculo, præceptione tui Culminis, cura etiam viri clariſſimi Rectoris provinciæ, in qua repertus fuerit, deducetur, per ſex [25] menſium curricula ibidem moraturus: quatenus interea minime poſſint crimina vel furta celari. Officium etiam, quod eum, debito tamen honore ſervato, non prohibuerit contra legis tenorem diſcedere, triginta librarum auri diſpendio feriatur. §. 3. Quod ſi intra quinquaginta dierum numerum fuerit forte pulſatus, & præfato tempore elapſo necdum finita lis fuerit, civiliter quidem ſuper furtorum ſceleribus pulſatus, dato procuratore inſtructo, poſt quinquaginta dies protinus habeat licentiam diſcedendi: accuſatione vero ſuper criminibus facta, per inſcriptionum laqueos irretitus, uſque ad terminum cauſæ ibidem neceſſario perdurabit. §. 4. Sciant autem univerſi Judices, apud quos vel adminiſtrationis jure, vel ex præcepto ampliſſimæ tuæ Sedis, hujuſmodi controverſiæ civiliter vel criminaliter ventilantur, intra viginti dierum ſpatium debere ſe præfata litigia, poſtquam orta fuerint, terminare: Nam ſi ſuperſederint, ipſos quidem decem [26] librarum auri condemnationem ſubire cenſemus: accuſationem vero ſeu civilem intentionem ſemel in judicium deductam præfato modo legitime terminari. Dat. 5. Id. Octob. *Conſtantinop.* ZENONE A. II. COS. 479.

In AUTHENT. ut judices ſine quoquo ſuff. §. neceſſitatem, col. 2. tit. 2. ſeu Novell. 8. cap. 9.

SI vero, antequam compleantur quinquaginta dies, fugiens capiatur, detineatur a provincialibus, & omne quod datum fuit ea occaſione, furti actione exigatur: præſente tamen Deo amabili Epiſcopo, & cauſam ex non ſcripto examinante.

TIT. L.

DE OFFICIO EJUS QUI VICEM[27] ALICUJUS JUDICIS VEL PRÆSIDIS OBTINET[28].

De cauſis ad Rempublicam ſpectantibus.

1. Imp. GORDIANUS A. Domitio P. P.

IN cauſa, quæ ſpectat ad utilitatem Reipublicæ, eum qui vice Præſidis provinciam adminiſtrat, potuiſſe cognoſcere, in dubium non venit. Sane ſi in aliquo captum eſt jus Reipublicæ: juxta ſcita divorum Principum, defenſores Reipublicæ ſi modo adeſſe fiduciam negotio putant, reſtitutionis auxilium poſſunt flagitare. Dat. 3. Non. Novemb. SABINO II. & VENUSTO COSS. 241.

De Juriſdictione.

2. Mandata Impp. THEOD. & VALENT. AA. miſſa Antiocho, cæteriſque P. P. per referendarium [29]: quæ ſic habent.

SUggerente magnificentia veſtra, docta imperialis æternitas, debere eos qui [30] præceptione principali [31] ſeu veſtræ Sedis ampliſſimæ tueri locum Rectorum provinciarum noſcuntur, auctoritatem habere tutores [32] ſeu curatores petentibus dare, decretum etiam interponere [33] ad alienandas minorum ſimiliumque eis perſonarum ſeu Curialium [34] facultates, & emancipationes quoque legibus [35] celebrare, & omnia, quæ ad juriſdictionem Rectoris provinciæ pertinent, actitare, præcipere dignata eſt pro diſpoſitione veſtræ Celſitudinis præfatas hujuſmodi ſollicitudines peragendi habere licentiam. Dat. Prid. Id. Oct. *Conſtantinop.* HIERIO & ARDABURIO COSS. 427.

TIT. LI.

DE[36] ADSESSORIBUS[37], [ET] DOMESTICIS, ET CANCELLARIIS[38] JUDICUM[39].

Ut conſiliorum participes ſpe præmiorum provocentur, non metu cogantur.

1. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. Paulino.

STudiorum [40] labor meretur, ut hi, qui in publicis adminiſtrationibus conſtituti ſociari ſibi conſiliorum [41] participes cupiunt, ſpe præmiorum [42] atque honorificentia ſua provocent eos, quorum prudentiam ſibi putant eſſe neceſſariam, non metu terribili, & neceſſitate incongrua libertati. Dat. Prid. Idib. Jul. TIBERIO & MAXIMO [43] COSS. 291.

De ſubſcriptionibus.

2. Imp. CONSTANTINUS A. ad Baſſum P. V.

PRæſides non [44] per adſeſſores, ſed per ſe [45] ſubſcribant libellis. Quod ſi quis adſeſſori ſubſcriptionem inconſultis nobis permiſerit:

1 *l.* 3. Ꞩ. *h. t. l.* 5. Ꞩ. *de offic. rector. provinc.* 2 Superſcriptionibus. 3 Conſtantiano *in Cod. Theodoſ. l.* 8. *de infirm. h. q. ſub tyr. &* 4. *de legit. hered.* At Conſtantio *in l.* 5. *de proximis*, unde deſumpta. 4 Græcis ὑπασπισταὶ, *Synopſ. Baſil.* 6. *tit.* 1. *c.* 115. officiales qui adſunt cornibus ſecretarii, vide *l.* 2. Ꞩ. *de prox. ſacr. ſcrinior.*

5 Οἱ τῆς τάξεως πρῶτοι, *Synopſ. Baſil. ibid.* 6 Hi ἀξιωματικοὶ, *Synopſ. Baſil. ibid.* 7 Honorati conſiſtorium Principis ingrediuntur. Porro conſiſtorium ad συνέδριον Principis refertur, ab eo autem dicuntur Conſiſtoriani, *l.* 1. Ꞩ. *de comitibus conſiſtor.* Conſiſtoriani, id eſt, comites conſiſtorii. 8 Vid. *l.* 2. *ſupr. h. t.*

9 *Triveris, ut C. Theod.*

10 Idem lege Julia repetundarum cautum eſſe refert Cicero. 11 Ἐπειδὰν καταθοῖντο τὴν ζώνην, poſtquam cingulum depoſuerint, *Synopſ. Baſil.* 6. *tit.* 1. *ex tit.* 3. adde *Nov.* 8. *cap.* 9. 12 Ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ, *Syn. Baſil. ibid.* id eſt, in provincia.

13 Ἐν τῷ θέματι, Euſtathius *lib. de temporibus c.* περὶ μηνῶν ἓξ §. ἐὰν ὁ ἄρχων &c. Provinciam igitur θέμα vocat: & ita Zonaras *in Heraclio*, ἐκ τῶν θεμάτων, id eſt, ex Provinciis. Theodor. Hermopolites 6. *c.* 1. εἰς τὰς ἐπαρχίας ἤγουν εἰς τὰ θεμάτια, & alio loco, δικαιοδοσίαν ἔχει ἐν τοῖς θέμασι, inde apud Harmenopulum 1. *tit.* 4. θεματικοὶ κριταὶ καὶ θεματικοὶ ἄρχοντες, verti dicique debuerunt judices provinciales, non pedanei, aut delegati. vid. Cujac. *c.* 88. *de præſcr.* 14 Inſulas, *Hal.* & male: *Inſulas mereri* eſt honorem adipiſci. 15 *Mereri* hic, ut & veteribus non eſt labore vel opera vel merito adquirere, ſed aliquid adeptum eſſe & obtinuiſſe ſimpliciter. 16 Spectabiles qui ſint obſerva. 17 Cujuslibet limitis. 18 Comes divinarum domorum. 19 Quibus pars provinciarum demandata. *l.* 10. *ff. de off. præf.*

20 Civitates illuſtriores metropoles. vid. *l.* 6. Ꞩ. *de offic. rector. provinc.* 21 *Subint. Eccleſiæ.* Ita judex in his locis ſedem conſtituere jubetur, in quibus oportet omnibus præſto eſſe rectorem, nec diverticula religioſa ſectari. *l.* 4. *C. Th. de officio rectoris provinciæ.* 22 Divina, revocatoria, vel codicillis alterius adminiſtrationis &c. *Hal.* quam lectionem probat Cujac. *Nov.* 8. 23 *l.* 10. *ff. de offic. proconſ. l. un. ff. de offic. Præfect. Aug. l.* 2. *ff. ad l. Jul. majeſt. Novell.* 95. *c.* 1. *in fin.* 24 Φεύγων non eſt fugitivus, ſed reus: ſenſus eſt autem, ut præſes, qui finito magiſtratu contra præcepta legum ante dies quinquaginta provincia exceſſerit, reducatur, & in provincia remaneat per ſex menſes provincialium actiones excepturus. 25 De ſex menſibus, vid. Cujac. *c.* 18. *de præſcript.* 26 Librarum decem auri pœna.

27 Hic incidit illa quæſtio de viceregibus noſtri temporis; de qua vide late Felinum *in cap. cum olim. de offic. delegat.* & alioqui Bellonum *l.* 1. *ſupputat. c.* 12. Mod.

28 Vicem præſidis obtinet quis? qui vicem præſidis obtinet, ad tempus ſcil. idque juſſu Principis vel præfecti prætorio. *l.* 2. Ꞩ. *h. t.* judice vel præſide defuncto: vel quia ad tempus ei provincia commiſſa eſt. Hoc munere nonnunquam fungebantur procuratores Cæſaris, *l.* 1. Ꞩ. *de pedan. judic. l.* 3. Ꞩ. *ubi cauſæ fiſcales, l.* 2. Ꞩ. *de pœn.* Sic Pontius Pilatus procurator Cæſaris erat, in Syria vice præſidis. Cujac. *hic, &* 19. *obſ.* 15. quod a Roberto non probatur. 1. *animad.* 21. *in fin.* probatur vero ab Antonio Mercatore, 1. *Notar.* 21. Cujac. ad *Nov.* 8. putat derogatum huic titul. vetito præſide τοποτηρητὰς, ſeu vicarios in civitatibus (ſe abſente) conſtituere: utpote eo munere ad defenſorem civitatis tranſlato. Paucis ſic ſentio. Eum de quo hic agitur, vicem judicis vel præſidis obtinuiſſe, *ut hic:* vice præſidis provinciæ adminiſtraſſe. *l.* 1. Ꞩ. *h. t.* locum rectoris provinciarum tuitum, juſſu Principis vel ipſius præſidis. *l.* 2. Ꞩ. *h. t.* Unde conſtat, huic vicario, defuncto tantum præſide, locum non fuiſſe *l.* 1. Ꞩ. *h. t.* τοποτηρηταὶ, *Nov.* 8. *c.* 4. Videtur autem hic fuiſſe locorum tantum quorundam, non integræ provinciæ defenſor, ut res eo redeat: a Præſidibus mandari potuiſſe integræ provinciæ adminiſtrationem, ſed & juriſdictionem, non tamen ab eo potuiſſe certis locis ac civitatibus defenſores dari, *l.* 1. *ff. de tutor. datis.* Cæterum vicem præſidis obtinens, hic eſt diverſus a vicario, de quo Ꞩ. *tit.* 38. & legato, eove cui mandata eſt a præſide juriſdictio. 29 Referendarius eſt, qui recitat Principi ſupplicum deſideria, & mandata Principis judicibus inſinuat. *Novell.* 10. *in princ. Novell.* 113. *in princ. Novell.* 124. *cap.* 4. *in pr.* Procop. *de bello Perſico:* Ammian. 4. *c.* 41. Formulam Referendariorum vide apud Caſſiodorum, 6. *Variar.* 17. 30 Vicem judicis vel præſidis quis obtinebat, juſſu Principis vel præfecti prætorio. *Goth.* Vide ad hanc legem Bellon. *Supputat. lib.* 1. *cap.* 2. Anſ. 31 *l.* 1. *ſupr. de mandatis Princip. l.* 1. §. 4. *ff. de leg.* 3. 32 *l.* 1. *ff. de tutorib. datis.* 33 Imo, eam facultatem mandare præſes poteſt, *l.* 2. *in fin. ff. de offic. ejus, cui mandata.* 34 Hinc & ex verbo, *Decretum* Ꞩ. *h. t.* colligunt, Non valere venditionem prædiorum curialium, niſi fiat cauſa probata apud acta præſidis. vide Cujac. *ad l.* 1. Ꞩ. *de præd. curial.* poterat etiam fieri apud acta vicarii, de quo hic agitur. 35 Hinc colligunt, Vicarios conſtitui, ut ea, quæ legibus ſpecialiter Præſidibus data ſunt, exequantur: vid. Cujac. *ad Novell.* 8.

36 *L.* 1. *ff.* 22. & 7. *Eclog.* 1. 37 Vide *l.* 14. Ꞩ. *h. t.* adſeſſores etiam vocantur 1. *C. Theod.* 11. 38 Vid. *l.* 3. *l.* 8. Ꞩ. *h. t.* 39 Omnium judicum, *l.* 6. 11. 12. Ꞩ. *h. t.* 40 Juriſprudentia requiritur in adſeſſore, *ut hic, & l.* 1. Ꞩ. *h. t. Novell.* 82. *in pr. verſ. Non enim.* At non in eo, cui adſidetur: ideoque adſeſſori imputatur imprudentia, non magiſtratui. *l.* 2. *ff. quod quiſque juris.* 41 Ii ſunt juriſprudentes ἀρχόντων σύμπονοι, 7. *Eclog.* 1. *cap.* 1. βοηθοί. Macarius *Homil.* 15. conſiliarii, *l.* 3. 7. 11. 12. 13. Ꞩ. *h. t.* adſenſores. *C. Theod. h. t.* ubi quidam legunt *adſertores.* Ut differant a judicibus, vide *l.* 2. & 13. Ꞩ. *h. t.* 42 Alexander Severus adſeſſoribus ſalaria inſtituit: ſæpe dicens, ad rempublicam eſſe promovendos, qui per ſe rempublicam gerere poſſent, non per adſeſſores, Spartian. *in Alexand. Sever.* 43 Al. *Tiberiano & Dione.* 44 Adſeſſores non ſunt judices, nec enim poſſunt libellis ſubſcribere. *Nov.* 60. *cap.* 2. 45 Non per adſeſſorem. An cum adſeſſore poteſt? *l.* 13. Ꞩ. *h. t.*